

« stimantur. Haec est vera justorum sapientia » (Alvarez de Paz, *praef. ad vit. spir.*). Concludendum est iterum dicendo: *Sis* mysticus practico-speculativus. Nam « et tantum lucere vanum, et tantum ar-  
« dere parum; lucere et ardere perfectum » (S. Bern., *serm. in Nat. S. Joan.*)

**15.** — *Magister* Theologiae Mysticae: **B. Maria V.**, vera Consolatrix ac refugium nostrum, quae merito vocatur: « Lux diei mysticae » (S. *Andr. Cret.*): « Perfectio hominum » (S. *Antonin.*): « Directio dubitationis nostrae » (S. *German.*): « Doctrix sapientiae Dei, docens veram sapientiam verbis suis et « exemplis » (*Idiota*): « Magistra contemplationis » (S. *Antonin.*): « Contemplatrix divinatorum Filii mirabilem, Deiformiumque operationum » (*Dion. Carth.*).

### REQUIES ANIMAE.

*Mariam cogita.* — Nulla unquam inordinata affectio, nec distractio, mentem Virginis a contemplationis lumine revocavit, nec occupatio ulla exterior (*Dion. Carth.*). — *Maria* est « oratrix nostra, ut ab hostibus nostris liberemur » (S. *Jos. Hymn.*): est « oraculum contemplantibus » (*Barth. de Pisis*).

*Mariam invoca.* — O Mater mea! « Undique sollicita es de miseris, misericordiam vallaris, solum misereri videris appetere » (S. *Bonav.*).

*Mariam laetifica.* — Orationis et meditationis studio. Etenim, « virtus orationis in B. Virgine excellentissima fuit » (B. *Alb. Magn.*). — *Ut sim servus Filii, servitatem appeto Genitricis* (S. *Ildes.*).

---

## TRACTATUS DE PERFECTIOE SPIRITUALI GENERATIM

---

### CAP. PRIMUM.

#### DE NATURA PERFECTIOE SPIRITUALIS.

---

**16.** — *Praenotandum.* — « Viae Sion lugent (i. e. « virtutes, ait Hugo), eo quod non sint, qui veniant « ad solemnitatem ejus » (*Jerem. 1*). « Tamen hoc « poterit speculator quisque intelligens exclamare, « (*videns*) tantam captivitatem animarum; tantam « declinationem a semitis justitiae. Quae viae etiam « lugere dicuntur; eo quod abjecta vera sapientia, « tam clerus, quam populus mundanis delitiis, vel « inutilibus curiositatibus se immergat: in quibus « sic mens ipsorum ita totaliter possidetur, ut vera « sapientia locum in eis non inveniatur » (S. *Bonav. Myst. prol.*). Ergo, agendum de vera sapientia seu perfectione, non ad speculationem tantum, sed etiam ad propriam praxim, ut dictum est alibi.

## ART. I. — De Notione Perfectionis Spiritualis.

**17.** — **Definitio.** — I. *Perfectio in genere* nihil aliud est quam plena et absoluta finis sui ultimi consecutio. Ergo, in hac vita haberi potest tantum inchoative; in altera perfecte.

II. *Perfectio nostra, seu viatorum, melius definitur:* Assecutio sanctitatis per fugam vitiorum, virtutum exercitium, et totalem ac habitualement obedientiam divinae voluntati, ex motivo charitatis erga Deum. Ergo, via perfectionis est vera palaestra spiritualis, in qua devotus Christi miles nihil aliud timet quam peccatum; nihil appetit quam Deum et Dei amorem; nihil quaerit quam Deum et Dei beneplacitum et voluntatem. — Cfr. Schram, Rodriguez, etc.

**18.** — **Divisio.** — Perfectio est *permanens* vel *operans*. *Perfectio permanens* seu *habitualis* est illa quae consistit in aliquo gradu sublimi sanctitatis et gratiae habitualis. Ergo est major vel minor sicut gratia qua participat. *Perfectio operans* seu *actualis* est illa quae consistit in modo quodam nobili et excelso exercendi virtutes, v. g. Deum ex toto corde cum purissima intentione amandi.

II. Perfectio est *personalis*, vel *status*. *Perfectio personalis* eadem ac perfectio permanens. *Perfectio status* seu *regularis* est observatio regulae et constitutionum Instituti regularis in quo quis profusus est.

III. Perfectio est vel *infima*, vel *superior*, vel *media*. *Perfectio infima*, seu essentialis, consistit in observantia praeceptorum maxime in charitate, et exigit fugam peccati saltem mortalis. *Perfectio superior* seu accidentalis quae stricte perfectionis nomen sola meretur, consistit in observantia consiliorum prout sunt media ut quis magis ac magis ultra debitum in charitate proficiat. *Perfectio media* consistit in fuga et detestatione mortalium et venialium. — Unde *Perfectio est vel incipientium, vel proficientium, vel perfectorum*. Prima excludit mortale; secunda roborat charitatem exercitio virtutum; tertia invenitur in animabus purgatis a vitiis, et illuminatis virtutibus, quae per charitatem soli Deo uniuntur purissima intentione. — Cfr. Schram, Godinez, etc.

**19.** — **Quidditas perfectionis.** — I. *Perfectio Patris coelestis est norma perfectionis nostrae spiritualis*. Quia 1° homo conditus fuit ad imaginem Dei. Quia 2° Christus (*Matth.* 5) ait: « Estote perfecti, sicut Pater vester coelestis perfectus est ». — Unde, quia Pater coelestis est perfectissimum Ens, perfectissima sapientia, et perfectissimus amor, homo, filius Dei adoptivus, esse debet vere vivens spiritualiter per gratiam et amicitiam cum Deo, vere cognoscens suum Conditorum, vere amans peraman-tissimum Patrem qui in coelis est. Non possumus esse, cognoscere et amare ut Deus, sed esse, amare et cognoscere ut Deus a nobis exigit. Ergo, « non requirit Christus ut in quantitate perfectionis Patri

« aeterno similes simus, quod impossibile est; sed  
 « in iisdem omnibus operationibus perfectionem no-  
 « stram sitam esse existimemus, in quibus perfectio  
 « Patris consistit; videlicet, quod sicut Pater aeter-  
 « nus seipsum cognoscendo generat Filium, et dum  
 « hunc infinite amat, et vicissim ab ipso taliter ama-  
 « tur, spirat cum ipso Spiritum Sanctum, sicque per  
 « istam cognitionem et amorem sui quodammodo tota  
 « Trinitas exurgit; ita et homines tunc se perfectos  
 « esse existiment, quando per cognitionem et amorem  
 « eidem moraliter adhaerent, et sic unus cum eo spi-  
 « ritus fiunt, quemadmodum Apostolus, I, ad Cor. 6,  
 « loquitur » (*Schram*, 16).

II. *Habitualis cognitio et fidelissima ac amo-  
 rosa executio Divinae voluntatis constituunt homi-  
 nes in vera perfectionis palaestra et schola, seu  
 faciunt homines viatores perfectos.* Quia 1° illi sunt  
 vere sancti et Deo grati, qui totaliter adhaerent Deo;  
 atqui scientes et exequentes omnia quae Deus vult,  
 totaliter adhaerent Deo, intellectu, corde et opere.  
 Ergo... Unde, tales, quamvis viatores, imitantur (im-  
 perfecte quidem) perfectionem comprehensorum seu  
 absolutam. — Quia 2° talis cognitio et executio est  
 sublimiter augmentativa gratiae et virtutis. — Quia  
 3° tales sunt vere Dei amici et dilectissimi servi,  
 agentes in omnibus ex motivo charitatis.

NOTA. — Non sufficit ad perfectionem nostram  
 Deo suum infinitum esse gratulari, et ex animo op-  
 tate, sed requiritur ut semper faciamus quod vult  
 Deus, et quomodo vult Deus, et quia vult Deus.

Ergo adimplere debemus Dei voluntatem et quoad  
 substantiam, et quoad modum, et quoad finem. Ergo  
 concludendum, cum devoto quodam Auctore: « Volo,  
 Domine, quidquid vis, volo quia vis, volo quomodo  
 vis, volo quamdiu vis ». Haec dicito et tu, non solo  
 verbo, sed opere et veritate, constanter, firmiter et  
 humilliter.

III. *Haec divinae voluntatis executio non respi-  
 cit tantum ea quae Deus expresse praecipit, sed  
 etiam ea omnia quae Deo placent.* Alias esset per-  
 fectio negativa, seu simplex exclusio mortalis et de-  
 liberati venialis, ad quod omnes homines obligantur.  
 Ergo, stricta, plena et specialis perfectio, quae in  
 hac vita dari et intendi potest, consistit in amare  
 Deum super omnia, prout talis amor excludit omne  
 displicens vel etiam minus placens Deo, et prout in-  
 ducit efficaciter ad omne majus Dei beneplacitum,  
 ait Schram.

IV. *Deus est finis perfectionis.* Unde errant, qui  
 totam vitae sanctitatem collocant in mediis perfectio-  
 nis, parum curantes de fine seu unione cum Deo.  
 « Magna coecitas, et nimia stultitia est in multis,  
 « ait D. Thomas (*opusc.* 61, c. 3), qui semper Deum  
 « quaerunt, continue ad Deum suspirant, frequenter  
 « Deum desiderant, continue in oratione ad Deum  
 « clamant et pulsant: cum ipsi secundum verbum  
 « Apostoli sint Templum Dei vivi, et Deus veraciter  
 « habitet in eis: cum anima ipsorum sit sedes Dei  
 « in qua continue requiescit. Quis unquam, nisi stul-  
 « tus, quaerit instrumentum foris, sciens quod ha-

« beat reclusum? Sic etiam est vita cujuslibet justi  
 « semper Deum quaerentis, sed nunquam fruētis,  
 « et omnia opera ejus minus perfecta sunt. » Ergo  
 bona sunt media, sed optima sunt opera: non suffi-  
 cit Deum quaerere, sed requiritur Deo parere et obe-  
 dire: meditatio et oratio sint tibi lucerna, sed exe-  
 cutio beneplaciti divini sit tuum negotium, officium  
 et continua occupatio. In meditatione scito quid Deus  
 velit de te, et statim promptus sis ad exequendum  
 quod intelligis faciendum. Pax, quies, et tranquilli-  
 tas tua sit observatio et adimpletio mandatorum et  
 consiliorum optimi Dei tui.

20, — *Varia.* — I. Perfectio habitualis ab  
 actuali est separabilis, v. g. in parvulo baptizato,  
 non vero in adulto: actualis vero, prout comprehendit  
 interiorem cum exteriori, ab habituali separari nequit  
 (*Schram*).

II. *Perfectio personalis non nisi secundum quid  
 est separabilis a perfectione regulari seu status,*  
 quatenus de caetero perfectus, ex debilitate vel inad-  
 vertentia, deficit in observatione unius vel alterius  
 regulae sub peccato non obligantis; imo perfectio  
 regularis est unum e potioribus signis perfectionis  
 personalis, et nunquam fallens, nisi ex parvitate ma-  
 teriae et indeliberationis hujus vel illius regulae;  
 minusque videtur e converso separabilis perfectio re-  
 gularis a personali, nisi forte ad tempus, et quoad  
 solam externam perfectionem, seu solam externam  
 regularem observationem, ut habet Reguera (id.).

III. Perfectio perfectorum est proprie illa per-

fectio quae speciali titulo hominem perfectum, san-  
 ctum et in statu perfectionis constituit, per quam  
 homo non est utcumque justus, sed perfectus; nec  
 utcumque perfectus, sed in gradu illo speciali, ad  
 quem in via devenire potest, et differt ab incipien-  
 tibus et proficientibus, sicut vir perfectus a puero  
 et juveni (id.).

IV. Perfectio est *secundum quid* mensura amici-  
 tiae cum Deo, seu est ipsa charitas reddens nos vere  
 amicos Dei. Perfecti enim, idem volunt ac Deus vult:  
 sed « eadem velle, et eadem nolle, ea demum firma  
 amicitia est, » ait S. Hieron. (*epist. ad Demetr.*).

V. *Perfectionem maxime petimus in Oratione  
 Dominica, per verba: « fiat voluntas tua, »* juxta  
 illud D. Cypriani (*epist. 5, de or. dom. cap. 7*):  
 « Fiat voluntas tua. Voluntas Dei est, quam Chri-  
 « stus et fecit, et docuit: humilitas in conversatione:  
 « stabilitas in fide: verecundia in verbis: in factis  
 « justitia: in operibus misericordia: in moribus di-  
 « sciplina: injuriam facere non nosse, et factam posse  
 « tolerare: cum fratribus pacem tenere: Deum toto  
 « corde diligere: amare in illo quod pater est: ti-  
 « mere quod Dominus est... etc. ».

VI. *Perfectio est quasi ars nobilissima ordi-  
 nandi charitatem.* Unde, status perfectionis, seu in-  
 stituta regularia vocantur *Ordines*, quia in illis  
 omnia tendunt ad ordinationem charitatis, ut detur  
 Deo, animae, proximis quidquid debetur, et habentur  
 multa quae maxime conducunt ad promovendum Dei  
 honorem, animae profectum et proximorum salutem.

Item, homines perfecti sunt ordinati et regulati in omnibus, integri, et solide devoti. « Ille juste et « sancte vivit, ait D. Augustinus (*l. de doct. christ.*), « qui rerum integer aestimator est. Ipse est, qui or- « dinatam habet charitatem, ne aut diligat quod non « est diligendum, aut non diligat quod est diligen- « dum, aut amplius diligat quod minus est diligen- « dum, aut minus diligat quod amplius est diligendum, « aut minus aut amplius, quod aequae diligendum « est. » Talis merito dici potest imitator Christi, imo proprie et vere christianus. Nam « Christianus nemo « dicitur recte, nisi qui Christo moribus, prout valet, « coaequatur, » ait D. Cyprian. (*de 12 abus.*).

VII. Quia, ut dictum est, spiritualis perfectio consistit in cognitione et adimplerione seu observatione voluntatis Divinae, homo debet lumen divinum ferventer postulare, ut videat quae agenda sunt, et faciat quae facienda viderit. Unde, reprobatur indifferentia circa voluntatem Dei in nobis et nostris. Patet ex damnatione sequentis propositionis Molinos: « Non « debet (anima) velle scire, an gradiatur cum volun- « tate Dei, an cum eadem voluntate resignata ma- « neat, necne; nec opus est, ut velit cognoscere suum « statum, nec proprium nihil, sed debet ut corpus « exanime manere ».

VIII. « Sanctorum virorum est, non inquirere « mansionem, ubi clariores sunt viri, sed ubi fide- « liores: nec gaudent, ubi epulae largae sunt, sed « ubi sanctitas floret » (S. Chrysost. *sup. Matth.*, 26).

ART. II. — De Qualitatibus sive notis Perfectionis.

21. — Praenotandum. — I. *Vera perfectio habet Christum Magistrum, Consiliarium, Directorem.* Ergo errant qui ideam perfectionis ad suum genium accommodant, cum interim in exequendis suis officiis desides, in sensu suo abundantes, pervicaces, incompositi, invidi atque infrenatae linguae esse soleant, ait Stapf, 55.

II. *Vera perfectio habet Christum Sustentaculum, Refugium, Defensorem.* Ergo errant qui propria sapientia innixi, Christi magisterium negligunt in suis ministris a quibus nunquam fere veritatem et doctrinam quaerunt; item qui de propria prudentia praesumentes, Christi consilium parvi faciunt, principaliora ad sanctitatem media independenter ab animae moderatoribus eligentes; item qui in internis languoribus, pugnis, difficultatibus, gravibusque tentationibus auxilium et remedia inefficacia sibi comparant, sese eximentes ab adeundo Christo animae protectore, medico et duce, per ejus legatum, Patrem scilicet spiritualem, ut cum obedientiae et subjectionis merito abundantius a Christo illuminentur, et efficacius defendantur.

III. *Vera perfectio est ergo amica obedientiae, humilitatis, dependentiae et subjectionis.* Vadit ad Christum praestante ducatum Ministro Christi, in doctrina, in consilio, in auxilio, saltem quoad res majoris momenti.

**22.** — *Qualitates perfectionis sunt.* — I. *Fuga peccati mortalis.* Etenim charitas, seu status gratiae est « vinculum perfectionis » (*Coloss.* 3, 14). *Et fuga peccati venialis deliberati.* Sunt enim venialia peccata animi languores et vulpes quae perfectionis vineam paulatim vastant. Ergo prima conditio est observatio mandatorum et adimpletio obligationum proprii status.

II. *Ardens (perfectionis) desiderium.* Verus enim Dei amator in omnibus Deo placere studet, ipsique magis magisque parere peroptat. Hinc « tota vita boni christiani sanctum est desiderium proficiendi » (*S. Aug. t. IV, Ep. I Jan.*). Ac proinde:

III. *Cognitio propriae imperfectionis conjuncta cum vera cordis compunctione.* Hinc « verus amor gradu uno contentus non est, ad altiora semper nititur et ad perfectiora indesinenter concupiscit attingere. Quas habet non magni facit virtutes, proficiendi desiderio » (*S. Laur. Just. c. II de cast. connub.*). Et in hoc sensu, de perfectis dicendum: « Haec est in omnibus sola perfectio, suae imperfectionis cognitio » (*D. Hieron. Epist. ad Theophil.*). Dicitur: *conjuncta cum vera cordis compunctione*, quia aliter magni peccatores dici possent perfecti, dum peccando sciunt se non esse perfectos...

IV. *Promptitudo animi ad Dei famulatum.* Ita ut perfectionis studiosus toto corde dicere possit: « Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum » (*Psalms.* 36). Quae quidem amorosa promptitudo, quamvis ordinario importat quamdam internam lae-

titiam in Deo serviendo, stare tamen potest cum vera ariditate, dummodo animus seu voluntas parata sit, et firmiter velit quae Deo placent perficere.

V. *Gradatio ordinata.* Quia 1° « imitatores sui nos » voluit Deus, ut prius faciamus aliqua, postea venustemus, et semper venustemus magis ac magis » (*S. Ambros. l. 1, Hex. c. 7*); 2° « Quisquis in spiritali exercitio cupit perfectionis culmen attingere, » juxta Prophetam admonitionem, ascensionis sibi in « corde spirituales componat gradus, per quos de « virtute in virtutem proficiens, ipsum Deum ex « parte comprehendere valeat, a quo plenissime comprehensus est » (*S. Laur. Just. in Prooem. de Grad. Perfect.*).

VI. *Continua exercitatio.* Unde, qui dicit: sufficit, nec in perfectione crescit nec propriam conservare potest. Hac in re vel adest progressus, vel fit regressus. Quapropter, « electis, cum foris aetas corporis, intus, si dici liceat, crescit aetas virtutis » (*S. Greg. l. 21, Mor. c. 13*).

VII. *Perseverantia in spiritali palaestra.* Unde semper in hac vita meliora aemulari possumus, nec hic requiescere velimus, sed dum tempus habemus, operemur bona. Ergo « semper tibi displiceat quod « es, si vis pervenire ad id quod non es. Nam ubi « tibi placuisti, ibi remansisti » (*S. Aug. serm. 13 de Verb. Apostol.*). Ergo bonus Christi miles semper bonum certat certamen, ut post mortem habeat coronam vitae.

**23.** — *Concludendum.* — I. Non est dicenda

Perfectio, illa quae impedit proprii status obligationes: quae ineffaciter desideratur: quae inordinate incipitur: quae pigre prosequitur: quae studioso quasi jam sibi sufficiens satisfacit. — II. De vero perfectionis amatore dici debet quod in illa adipiscenda et fovenda nunquam quievit. — III. *Notandum tamen quod peccatum mortale a perfectionis asseclis forsan commissum post conversionem*, mortificat quidem anteacta bona opera et excludit ab actuali perfectione, sed sublato peccato per veram poenitentiam, et anteacta bona opera reviviscunt, et poenitens in via perfectionis denuo collocatur, aequali vel inaequali, juxta durationem status peccati, intensitatem poenitentiae, etc. — IV. *Perfectio praesupponit veram devotionem, devotio autem Dei charitatem*. Per charitatem omnia praecepta observamus, per devotionem divina mandata prompte et alacriter adimplemus, per perfectionem, finem devotionis obtinemus, scilicet consecutionem nostri ultimi finis, *inchoative* in hac vita per uberiores gratias, *complete* in altera per majorem gloriam.

**24. — Varia.** — I. *Causa primaria perfectionis est Deus* bonorum omnium distributor, qui prout vult, dona largitur; *secundaria vero, est consideratio divinae bonitatis et nostrae infirmitatis et miseriae*. Effectus est salutaris tristitia seu displicentia de defectibus animae, et laetitia seu promptitudo ad melius proficiendum. Ergo verus perfectionis amator frequenter orat, frequenterque meditatur: noscit se, noscit Deum; confidit in Domino, de propria diffidit virtute.

II. « Christus sicut in illo ipso homine, quem « gessit, ita in nostris mentibus quosdam gradus « corporeae aetatis exequitur. Nascitur, crescit, roboratur... sed orandus, ne in nobis diu aut jugiter « parvulus aut infirmus et pauper sit » (S. Paulin. *epist. 3 ad Sever.*).

III. Homo creatus est ad Deum amandum, laudandum, eique serviendum in hac vita, ut eum possideat in futura. Ergo perfectio hominis consistit in perfecta charitate; per hanc enim moraliter unitur Deo, et quantum in hac mortalitate fieri potest, possidet Deum.

IV. Quamvis *devotio* et *perfectio* ab invicem distinguantur, tanquam medium (*devotio*) ab objecto (*perfectio*); tamen in praxi non raro indiscriminatum usurpantur pro perfectionis studio et exercitio. Item, *probus* et *devotus* non sunt unum et idem: etenim homo probus est ille, qui Dei mandata observat, licet remisse ac frigide; devotus autem non solum illa totaliter observat, sed et libentissime, prompte ac corde magno, ait S. Franciscus Salesius (*epist. 31*).

#### ART. III. — De Bonis Perfectionis.

**25. — Dignitas Perfectionis.** — I. *Per illam magis sanctificatur Nomen Domini*. Quia 1° Glorificatur Deus Pater, cum perfecti vitam supernaturalem habeant, et abundantius habeant. Glorificatur Deus Filius, uberiori copiosae Redemptionis fructuum